



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

1. Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39424

baptismo, promittitur illis remissio peccatorum. Hunc ordinem, hanc viam, hanc rationem iustificationis impij, hic præsens locus docuit, quem varijs modis impiè depravare horum temporum hæretici conati sunt.

CAP. III.

1. Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.

CALVINUS hoc loco ita scribit: *Quod statas horas veteri populo Deus esse voluit, hinc colligimus non posse carere Ecclesiam certa disciplina: ac hodie, nisi obstaret nimis torpor, utile esset quotidie habere tales conuentus.* Quæ eius verba tum hæreticorum hodie torporem manifestè eodemuat, qui horas publicarum precum distinctas 1. 3. 6. & 9. non seruant, tum observationem in hac parte Catholicam à reprehensione liberant: simulque probant non esse Iudaicam κακοζήλιαν, sed Christianam pietatē, veteris populi ceremonias ad Ecclesiasticæ religionis vsus transferre, quod tamē alibi ipse maximè Calvinus obijcere solet. Ita hoc loco seipsum ac suos appositè refutavit. Sic infra, vbi de Anania dicitur (cap. 9.) *Et imponens ei manus, dixit, &c.* scribit Calvinus: *Morem imponendi manus, à sacrificijs ve-*

Ceremonie legales in Christianam religionem transferri possunt.

ficijs veteribus sumptum, Apostoli in suum usum transtulerunt. Fingunt autem hîc hæretici

Marlor.
in catena.

Apostolos testandæ pietatis causa Deum Israel innocasse, & fidem suam precationibus quasi fomentis magis accendisse. Ita omnem orationis usum ad fidei testimoniû, vel ad fidem fouendam transferunt: quorum neutrum Scriptura

Oratio ad
alia vtilis
quàm ad
fouendâ
fidem.

docet. Alios orationis usus Scriptura tradit: nempe vt aliquid à Deo noui beneficij, aliquam nouam gratiam, (nam & ipsa perseverantiæ gratia nouum beneficium est) accipiamus. *Quocumque petieritis in oratione*

Marth. 21

22.

Marth. 7.

8.

Ioan. 16.

23.

credentes accipietis. Omnis qui petit, accipit. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Hic dare ex parte Dei, & accipere ex parte nostra, manifestè docent alicuius gratiæ aut beneficij collationem, non acceptæ fidei testimonium aut fomentum. Vide Promptuarium nostrum Morale, Domin. 5. post Pascha text. 1.

12. *Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare?*

Negat B. Petrus miraculû sanati claudi aut vlli virtuti suæ potentia, ac facultati suæ, τῆ δύναμει, aut etiam pietati, τῆ εὐσεβείᾳ, tribuendum esse: tum quia virtus ac potentia huius miraculi soli Deo erat propria, & vires humanas superabat: tum quia pietas aut deuotio Petri non erat tunc Iudæis.